



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis  
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118537**

Lectori Benevolo Salutem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](#)



*Lectori Benevolo Salutem.*

**E**quidem in Historia Clarissimi D. Fleurii latine redditā Tomus vige-  
simus exhibet Tabulas Chronologicas,  
in quibus ad utilitatem eorum, quibus  
copiosa non suppetit aut librorum supel-  
lex, aut deest temporis opportunitas,  
unico veluti obtutu conspicienda datur  
Chronologica rerum gestarum series, ac  
synopsis: cum autem hæ Tabulæ non  
nisi usque ad annum Christi 999. suis-  
sent protractæ, Eruditorum autem quam  
plurimi saepius me stimulassent, ut ea-  
rum alteram concinnarem partem, ac  
saltem eo usque, quo Fleurii Abbatis  
Continuator suam deduxerat Historiam,  
illas prosequi vellem, hinc eorum desi-  
deriis, imo opportunis, ausim dicere,

pre-

precibus pro ingenii mei tenuitate satis-  
facere constitui, & quamvis ejusmodi  
laborem Chronographicum Eusebius, S.  
Hieronymus, D. Prosper Aquitanus, S.  
Ado Viennensis, Marianus Scotus, Si-  
gebertus, Dochechinus Abbas, Rober-  
tus a Monte, Trithemius, Panvinius,  
Genebrardus, Baronius, Gualterus, am-  
bo Paggii, aliique non pauci tam vete-  
res, quam recentiores Chronographi in  
se susceperint, nihilominus cum horum  
opera vel non omnibus præsto sint, vel  
eorum aliqua minus accurato labore sint  
concinnata, ideo haud supervacaneum  
fore hunc conatum meum arbitrabar,  
si pro Lectoribus Fleurianæ Historiæ  
evolvendæ assuetis accommodas subne-  
ctam ejusmodi Tabulas, ex quibus, ut  
alia taceam emolumenta, saltem in  
Lectorum utilitatem promanabit tem-  
poris commodum, memoriæ in retinen-  
do firmitas, atque ingenii in perscru-  
tando facilitas & in laborando alacritas.

Cum autem in studio Chronologico  
haud exiguum suppeditet auxilium Pa-  
schatis

schatis Tabula seu certæ diei enumera-  
tio, ubi indicatur, in quem diem Pa-  
schatis Dominica quovis anno concur-  
rat, hinc Paschale hoc tempus usque ad  
primum Christi annum revocare, atque  
ejusmodi Tabulam præfigere volui, ut  
emergentibus dubiis Lector ad illam  
veluti ad certum, fixumque temporis  
punctum, a quo cetera dimetiri pos-  
set, recurrere valeat; adjeci insuper  
literas Dominicales, atque Indictiones  
Romanas, quas tamen neutiquam a  
primo Christi anno incipere necessarium  
duxi, partim quod facili negotio a quo-  
vis ad hoc usque tempus extendi pos-  
sint, partim quod consultius censuerim  
inchoare ab anno Christi trecentesimo  
vigesimo quinto, cum illo anno Conci-  
lium Generale Nicænum I. celebratum  
decreverit, Pascha celebrandum esse die  
Dominico post decimam quartam Lunam  
Mensis Martii. Hunc itaque laborem  
meum, Amice Lector æqui, bonique con-  
sule, & qualibuscumque conatibus  
meis fave.

## TABULA